



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CXC. Das Domcapitel in Brandenburg vereinigt sich mit den Domcapitel in Magdeburg über verschiedene Gegenstände, am 25. Juli 1326.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

les viros dominos nostros dominum henricum videlicet prepositum et Capitulum Sancte Magdeburgensis Ecclesie parte ex altera habita supra controversiis aliquamdiu inter nos utrobique motis eisdem domino henrico preposito et Capitulo promissimus et per presentes litteras promittimus ducentas marcas Brandenburgensis argenti et ponderis in terminis, videlicet ad quindenam post festum beati Mychahelis proximum venturam Centum, Et ad quindenam post festum beati Martini Episcopi et confessoris similiter Centum solvere finaliter et complete: proinde predicti prepositus et Capitulum predictarum controuersiarum omnium et singularum de cetero nullo unquam tempore recordabuntur et ad promouendum nos ut in eorum litteris exprimitur perpetuo laborabunt et facient sincere omnia que nobis esse poterunt profutura. In cuius rei euidentis testimonium presentibus sigilla nostra sunt appensa. Datum Brandenburg, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXVI<sup>o</sup>. In die praxedis virginis gloriose.

Nach dem Original des K. Provinzial-Archivs zu Magdeburg.

**CXC.** Das Domcapitel in Brandenburg vereinigt sich mit den Domcapitel in Magdeburg über verschiedene Gegenstände, am 25. Juli 1326.

Henricus, dei gratia prepositus, totumque capitulum ecclesie Magdeburgensis uniuersis, quorum interest seu poterit interesse, tam presentibus quam futuris, ad quos presens scriptum pervenerit, salutem in domino sempiternam. Insinuatione presentium recognoscimus et volumus esse notum, quod, cum dudum inter bone memorie dominum Borhardum, archiepiscopum Magdeburgensem et capitulum nostrum ex parte una ac venerabilem quondam dominum, Johannem, episcopum, ac capitulum ecclesie Brandenburgensis nec non prelatos et clerum Brandenburgensis dyocesis ex parte altera super diversis articulis et precipue super quarundam sententiarum et processuum executionibus et publicationibus pro domino archiepiscopo et pro nobis per diversos iudices ac diversis causis et temporibus habitorum, non modica ac longi temporis fuisset dissensionis ac discordie materia suscitata: tandem super hiis inter nos nomine nostro ac nomine futuri domini nostri archiepiscopi nec non dominum prepositum et capitulum, prelatos et clerum Brandenburgensis dyocesis predictos, sede Brandenburgensi nunc vacante, amicabilem compositio intercessit, dampnis et dispendiis, que occasione dissensionis et discordie provenerunt, nobis secundum statum presentis temporis congrue restauratis, cujus quidem compositionis tenor et forma dinoscitur esse talis: Imprimis liquidem iuxta formam compositionis, inter nos concepte et habite, omnibus et singulis processibus et sententiis per venerabilem patrem, dominum Ottonem, Hildenshemensem episcopum, conservatorem principalem per sedem apostolicam deputatum, pro domino nostro archiepiscopo et ecclesie Magdeburgensi supradictis et per dominum Conradum, scolasticum ecclesie Sancte Crucis, et dominum abbatem monasterii Sancti Mychelis ordinis sancti Benedicti civitatis Hyldeshemensis subdelegatos ab ipso occasione dissensionis et discordie, pro ecclesia nostra et domino nostro archiepiscopo habitaram, renunciamus omnino nunquam ad eos ullo tempore regressum aliquammodo habituri. Insuper processus et sententias uniuersos et singulos occasione predicta per dominum nostrum archiepiscopum jam dictum et dominum Guncelinum cum brachio, eo tempore executorem statutorum conciliorum Magdeburgensium dudum contra dominum prepositum, canonicos ecclesie Brandenburgensis, prelatos et clerum eiusdem dyocesis in genere vel in specie promulgatos, post appellationes



tamen legitimas, ut dicitur, prius interpositas, quod conscientiis dominorum prepositi et capituli duximus relinquendum, omnino quantum in nobis est, revocamus eisque penitus renunciamus, volentes ipsos esse de cetero irritos et inanes et omnino effectu carere, ita quod neque actionem aut exceptionem seu aliud juris subsidium quodcumque prestare aut parare valeant in posterum contra ipsos seu aliquem eorumdem. Secundo quod dominus prepositus et capitulum ecclesie Brandeburgensis discretos viros, dominum Wernerum plebanum ecclesie sancti Petri Magdeburgensis et magistrum Hinricum de Beliz ad capitulum, civitatem et dyocesis Brandeburgenses visitatores per dominum Magdeburgensem archiepiscopum deputatos recipere et admittere pro exercendo visitationis officio recusarunt, quandam, ut dicebant, appellationem in contrarium pretendentes, Similiter sententias, quas iidem visitatores in contradictores et rebelles propter repulsionem eorum post appellationem tamen jam dictam, ab eis, ut dicitur, prius interpositam, quoque ipsorum conscientiis duximus relinquendum, promulgare nescunt, in quantum propter appellationem eandem de jure possumus, revocamus et invalidas reputamus, ipsis renunciantes perpetuo per presentes, unde et domini et clerus prefati de compositione amabili et concordia plene confisi renunciarunt omnibus appellationibus supradictis pro se et pro parte ipsorum et nos una cum ipsis earundem appellationum prosecutionibus renunciamus et renunciamus expresse. Tertio revocationem et amotionem sententiarum et processuum jam dictorum faciemus, cum super hoc oportune requisiti fuerimus, in omnibus et singulis locis in quibus visum fuerit expedire, expensis capituli et aliorum, ut predicatur, prout melius fieri poterit, publicari ac denunciari, ne de cetero, prefatis processibus ac sententiis, ut predictum est, revocatis, iidem domini prepositus et capitulum et clerus Brandeburgensis ullatenus molestentur nec aliquid eidem sententie et processus afferre eis debeant in spiritualibus aut temporalibus nocumentum. Quarto venerabilem virum dominum Hinricum de Barby, electum ecclesie Brandeburgensis, omni, qua possumus, diligentia secundum iustitiam et gratiam promovebimus bona fide, ut electionis sue confirmationem ab ecclesia Magdeburgensi, quantum possibile fuerit, assequatur, sic tamen, quod per eum fiant talia, que sufficiant et ad confirmationem assequendam fuerint oportuna. Quinto personas, bona, jura, res ac possessiones et terras alias ecclesie Brandeburgensis, quantum nobis possibile fuerit, de cetero fideliter defendemus nec eas vel ea per advocatos, capitaneos, iudices aut quoscunque alios ministros nostros, qui sub obedientia nostra fuerint, permittemus aliquatenus dampnificari seu etiam molestari, immo ipsum dominum prepositum et capitulum in nostros familiares ex nunc recipimus et speciales amicos. Sexto quia domini prepositus et capitulum Lezekense et quidam alii clerici Brandeburgensis dyocesis tempore discordie supradicte, magis eligentes domino nostro Magdeburgensi archiepiscopo et suis iudicibus quam domino Brandeburgensi episcopo et suo capitulo obedire et ab eorum se obedientia tunc temporis subrahentes, se nostre et protectioni sedis apostolice subjecerunt, ipsis taliter nobis prius obedientibus denunciamus et presentibus intimamus, quod ad solitam et dudum observatam Brandeburgensis ecclesie obedientiam revertantur, cum jam omnis causa cessaverit, propter quam prius renuerunt ecclesie Brandeburgensis monita recipere et mandata. Septimo quia capitula et canonici in Cerwist et Kozewic ecclesiarum et eis adherentes, ne visitatores domini nostri archiepiscopi ad eos auctoritate apostolica destinatos reciperent et admitterent ad commissum eis visitationis officium exercendum ex certis causis appellarunt, ipsos appellantes ad obedientiam debitam redire volentes, ad gratiam nostram recipimus et favorem. Ceterum quia compositionem et ordinationem supradictas nomine nostro et nomine futuri domini nostri archiepiscopi fecimus et statuimus, prout tam nostre quam Brandeburgensis ecclesiarum utilitati et honori vidimus expedire, ideoque tenore et auctoritate presentium dominis preposito et capitulo Brandeburgensis fideliter promittimus nosque promit-



tendo firmiter obligamus, nos facturos et curaturos, quod futurus dominus noster archiepiscopus ratam et firmam habebit compositionem amicabilem prelibatam ac omnia et singula, que continentur in ipsa, nec ulla causa vel ingenio compositionem hujusmodi per se vel per alium aut alios violabit. In cujus compositionis et promissionum et contentorum in ipsis et eorum observationis inviolabilis testimonium nos Hinricus prepositus et capitulum Magdeburgense, presentes litteras scribi fecimus ac sigillorum nostrorum appensione fideliter communiri. Actum et datum Magdeburgi, anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXVI<sup>o</sup>. in die beati Jacobi apostoli.

Nach dem Originale.

**CXCI.** Der Bischof Otto von Hildesheim beauftragt den Abt des Johannisklosters bei Magdeburg das Interdict gegen das Domcapitel in Brandenburg zurückzunehmen, am 25. Juli 1326.

Otto, dei gratia Hyldenfemensis ecclesie episcopus, judex et conservator reverendi domini archiepiscopi et capituli ecclesie Magdeburgensis a sede apostolica deputatus, viro sincero, domino abbati monasterii Sancti Johannis baptiste extra muros Magdeburgensis intimam in domino charitatem. Supplicarunt nobis honorabiles viri, dominus prepositus et capitulum Magdeburgensis ecclesie jam dicte, quod cum compositionem amicabilem super diversis diffencionum articulis inter ipsos ex parte una, ac honorabiles viros, dominum prepositum et capitulum nec non ceteros prepositos, prelatos et clerum ecclesie et diocesis Brandenburgensis ex altera, nuper, ut dicebant, favorabiliter ordinatam posset revocatio et amotio quarundam sententiarum suspensionis, excommunicationis et interdicti per scolasticum ecclesie Sancte Crucis auctoritate apostolica subdelegatum a nobis, occasione diffencionum hujusmodi prelatorum observatione stabili roborare, ut nos sententias eisdem amovere et revocare, prout de jure nobis competit, dignaremur, precipue ex hac causa, quia eedem sententie beneficio appellationum precedentium rite suspense dicuntur, a prefato scolastico promulgate. Cum itaque multiplicibus negotiis, quorum instantia oportuna nos vacare non sinit, arctius prepediti, petitionem dominorum, prepositi et capituli Magdeburgensis ecclesie supradicte intendere nequeamus, prudentie vestre, de qua sinceram in domino fiduciam obtinemus, vices nostras super absolutione et revocatione sententiarum superius memoratarum tenore presentium duximus committendas, ut ad ipsas faciendas et publicandas ratione previa procedatis, quandocumque prefatis dominis, preposito et capitulo ecclesie Magdeburgensis, placuerit, et ex parte dominorum prepositi et capituli Brandenburgensis ecclesie fueritis requisiti. Datum Sthurwolde, die beati Jacobi apostoli anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXVI. sub nostro sigillo pendente.

Nach einer Copie im alten Copiarie.

**CXCII.** Der Abt Bodo des Johannisklosters bei Magdeburg nimmt das Interdict gegen das Domcapitel in Brandenburg zurück, am 3. Aug. 1326.

Bodo, dei gratia abbas monasterii sancti Johannis baptiste prope muros Magdeburgenses a reverendo patre, domino Ottone Hildesfemensi episcopo, conservatore et iudice